IN FUNERE

JOANNIS BAPTISTÆ GAZOLÆ

Comitis

INSPECTORIS CÆSAREI

ELEMENTARII INSTITUTI

PROVINCIÆ VERONENSIS

Carmen



VERONÆ

Ex Officina Libantea

M. DCCC. XXXIV.

Digitized by Google

625

Digitized by Google

Ereptum nobis crudeli morte Parentem,
Quem tenerae mirata ducem Verona juventae
In studiis, clarum queritur sibi lumen ademptum,
Pollenti celebrare lyra num Musa dolore
Icta potest nimio? incomptos temerata capillos,
Illacrimansque, et corde trahens suspiria, cantu
Non auras dulci, moestis at vocibus implet.
Ergo age, quae clangore tubae memoranda virorum
Facta refers, passim volitans, Dea, praepete penna,
Nunc meritis dignae resonent fac undique laudes,
Quas caro Capiti, nulla dictante Camoena,
His animi, ut valuit, chartis intexit amaror.

Digitized by Google

,140

Italiae qui sceptra tenet, qui legibus aequis,
Consilioque potens late dominatur, et armis,
Limine Bellonae clauso, Janique bifrontis,
CÆSAR, dum vasta Imperii sub mole laborat,
Vel juvenum meminit, regni decus unde futurum;
Quippe illos certa ut doceant ratione magistri,
Doctrina et varia, sanctis et moribus ornent,
Jussit, et ingentes auri profundit acervos.
Quin et ludi, elementa queant ubi discere prima,
Curat quaque novi pueris pandantur in urbe,
Electosque viros tanto praefecit honori.

Quos inter BATTUS [1] subito tunc percitus aestu,
(Turba ex ore silens pendet glomerata profundo)
» Quid studiis, ait, o cives, quid suavius unquam!
» Illorum tamen est radix inamoena puellis
» Principio; saepe hinc animumque, pedesque trahentes,
» Suspensi invisos laevo librosque lacerto
» Ægri adeunt ludos. Latiis occulta latebris
» Ergo rudimenta, o! longum, cur prima docentur?
» Qua proavus lingua, materque, paterque loquuntur
» Eja agedum incipias; junior bibet auribus actas
» Tunc avidis documenta: oras sic pocula circum

Digitized by Google

» Tingit melle, puer laticem ut perpotet amarum,
» Quo valeat, genitrix. Eadem cur insuper omnes
» Edoceas! num eadem campis dat semina cultor
» Omnibus? ingeniis varia est vis insita, et una
» Nec stat sors; alios etenim ad commercia cogit
» Pauperies, humanae alios ad commoda vitae
» Artibus augenda omnigenis natura vocavit,
» Tota olim domus inque alios onerosa recumbet.
» Hos simul excolimus longo quid tempore frustra?
» Quid digitis citharam, invita vel saepe Minerva,
» Etruscam pulsare juvet, pulsare Latinam,
» Qui expensum in tabulas referent noctuque dieque
» Posthac quod lanius petet aes, sutorque faberque?
» Seu rigidos lapides, rude sive industria ferrum
» Anne diu artificis parat? omni num arte magistra,
» Saphiros ut coeruleos, viridesque smaragdos
» Expolit, aut pretiosa argenti aurique metalla?
» Scilicet illa, quibus surgunt innixa domorum
» Tecta, latent; his at circum decorata renident
» Templa, caput regum, et vestes, et colla, manusque,
» Et solia, et mensae, aularum et laquearia fulgent,
» Heroumque nitent veterum spirantia signa.

Digitized by Google

» Quot nulla heu! contra natorum cura parentes
» Tangit, et indoctos citiusque laboribus urgent!
» Proh stultum genus! infelix nam transigit aevum
» Errorum in tenebris, nunquam si culta juventus;
» Quin lucro minus apta inopem traducere vitam
» Vix poterit; vitium heu! tandem male sana fovebit;
» Quippe solet doctor teneras effingere mentes
» Moribus: atque adeo in teneris consuescere multum est.
» Namque semel quo imbuta recens, servabit odorem
» Testa, neque amissos fuco medicata colores
» Lana refert. Quid plura loquar? fortuna peribit
» O! fallax nimium, at studio juvenilibus annis
» Utilitas percepta manet, semperque manebit.
» Discendi, eja igitur, cives, antiqua recedat
» E ludis ratio, ac pueros nova jam educet omnes.
« Sic amat, et tanto decorat vos munere CÆSAR.
Dixerat, atque operi Praeses sua jussa capessit.

Ergo, BATTE, opibus quem clarum et sanguine avito,
Signantem [2] nec adhuc roseas lanugine malas
Aonio Pallas perfusum labra liquore
Duxit Pieridum sacros lustrare recessus,
Pomifera et Sophiae [3] loca, et Artium amoena vireta;

Digitized by Google

Unde avido pulcri verique cupidine raptus
Occultas rerum [4] gaudes cognoscere caussas,
Fatidico aut quondam fuerant quae Davidis ore,
Hebraeae et fidibus citharae modulata canoris,
Doctus ad Etruscas [5] deducere carmina Musas:
Quem toties longi terraeque marisque labores
Erudiere satis, decus his Patriaeque tulisti;
Quem Rex [6] Gallorum titulis et honoribus auxit,
Cui et consilium, et mens alta, et plurima virtus
Insidet: o! parvis adeo dignabere coeptis!
Praesideas pueris! animi benefacta superbi
Publica ne temnant; sapiens nam despicit illos.

At Tibi, curarum premeris dum pondere tanto,
Temporis ecquid erit? studio nam quae undique tellus
Marmora [7] fert collecta tuo, et, genus omne, metalla,
Et quot habet miris aequor variata figuris
Ingenti devecta procul conchylia sumptu,
Eruta Bulcanis et muta animantia saxis,
Viscere quae Proteus montes quondam egerat altos,
Ædibus urbanis mentemque animumque fatigant;
Nuncia ubi externis quos fama vocavit ab oris,
Nec non et [8] Reges, statuunt qui dona quotannis,

344.

Obstupuere omnes, novitatis imagine capti.
Nec satis haec; tua nunc, hominum consortia vitans,
Omnigena antiquis praeclara volumina chartis
Nocturna versare manu, versare diurna;
Nunc Musam, testes, celeberrima turba, sodales,
Tuscis [9] exercere modis, et divite vena;
Nunc ad sidera ferre, virûm plaudente corona,
Qui tabulis [10] inserta tenent tua nomina, pleno
Verborum numero socios, atque inclyta facta.
Quo res te poscunt variae, huc percurris et illuc,
Seu pia templa [11] colas, urbis seu [12] munia tractes,
Fratres sive vocent cari, dulcesve Nepotes.
Non mora, non requies datur ulla: supervenit undam
Haud secus unda mari, hanc alia; et rapido aethera cursu
Terras volvuntur circum noctesque diesque.
Attamen haec inter puerûm tua maxima cura
Sunt studia, haec inter pueri tua sola voluptas.
Sol ita dum coelum, et montana cacumina, et urbes
Lumine collustrat, turres regumque superbas,
Oceani radio tremulis dum ludit in undis,
Ornat alitque simul virgulta in vallibus imis,
Atque rosas pingit, violas, et lilia, vestit

Digitized by Google

Quin variis sic florea prata coloribus, impar
Regius ut longe fuerit Salomonis amictus.
  Jam coëptum exsequitur munus felicibus ausis;
Adsistunt comites circum Vis fervida mentis,
Virginitas, pietatis Amor cui sanctus adhaeret,
Cura vigil, Labor et constans, Roburque virile,
Ac rebus dexter Modus, et Prudentia cana.
Jam fervescit opus, perquirit ubique magistros,
Accivitque sibi, et facili devinxit amore,
Omnibus accenditque ignes. Jam parva sub ipsis
Principiis studia et vires et pabula sensim
Suscipiunt, Patriae et vicos diffusa per omnes.
Scilicet innumeri discunt elementa puelli,
Agricolae et discunt, et prima aetate puellae.
Haud aliter parva interdum super aethera nubes
Tollitur Oceano, paullatim et crescit eundo;
Hinc passim rident, effusis imbribus, horti,
Arida prata bibunt, late campique virescunt.
Sedulus ut puerûm properet tot visere coetus
Nunc referam? dulcis modo laude, hortatibus ipse
Hos trahit, haud asper dictis modo corripit illos.
Cordis quippe aditus molles, et tempora fandi

Digitized by Google

543

Noverat, ac labiis risus, vultusque decora
Majestas inerat: miscens sic dulcia amaris
Omne tulit punctum. O! quoties audire puellos,
Certatim referunt avido qui prima petenti
Ore rudimenta, in memori jam condita mente,
Gaudet! non videas ita, cum vix fingere voces
Primas incipiant nati, gaudere parentes.
Laetitia o! illi nova, terque quaterque benignus
Rex invisere cum ludos dignatus in urbe,
Delicias sibi; Cui viridis libare juventae
Fructus praebet ovans: dat hero ceu mitia poma,
Quae labor eduxit, redeunti cultor agelli.
Illius exarsit nostri quae flamma medullas
Carmine praeteream? nos ore oculisque gerebat,
Et corde in medio; multis nos usque juvabat
Officiis, toties nobisque solebat adesse,
Versarique simul, curarum dulce levamen.
Nam facie, alloquiisque suis quid gratius unquam?
Purpureis frontem depicta coloribus almam
Ut cum oriens Aurora vehit mortalibus aegris
Exoptata diem, pallentes dimovet umbras,
Et coelum recreat diffuso lumine, et orbem:

Digitized by Google

BATTI frons hilaris, sermo lepidisque refertus
Verbis, quae nobis fastidia longa diei
Saepe molesta nimis fert parva et mobilis aetas,
Pectore sic fugat e toto, mentemque serenat.
Eheu! tanta Viri at lux occidit: effera morbi
Vis premit, incursu horrendo [13] quatit ilia tussis.
Proh dolor! aeterno clausit sua lumina somno.
Heu! moriens, BATTE, heu imples quanto omnia luctu!
Virtutum alma cohors fusis per colla capillis,
Quando parem inveniam? lacrimis clamavit obortis;
Artes ingenuae, et doctae flevere Palestrae,
Aonidumque suo gemuit cum Principe coetus;
Ac, Regis quae munera obit, manus ipsa Virorum
Tristia honorifico comitatur funera fletu;
Quos pone et pueri et juvenes longo ordine ducti
Orantes querulis implebant vocibus auras.
Sed carum in primis dolet indiga turba parentem,
Quem nunquam splendor decepit fulgidus auri,
Praesidium viduis auro, natisque misellis.
Audiit haec Athesis, qui e gurgite sustulit alto
Algosum caput; huc illuc et lumina torquens,
O! Verona, ait, ingeniis quondam inclyta doctis,

Nunc heu! pene exhausta viris, aequare dolorem
Quis poterit dictis, tua qui jam corda perurit!
Turpem discutiat molli studiosa juventus
Pectore segnitiem, vetus ac tibi gloria surgat.
  Nulli flebilior, toti qui flebilis urbi,
Quam nobis tamen, o animae pars maxima nostrae.
Sed quorsum lacrimae? meliori praeditus aevo
Vivit adhuc, coeli aeternum fruiturus in aula;
Quin nostri et memor inde bonis nos spectat ocellis.
Illius o! votis, prosint quibus omnia quaeque
Elicit, et Battus [14] multos sit Praeses in annos
Alter, qui sua nunc primo vestigia gressu
Insistit, casu et tristes solatur acerbo.

HOC DOLORIS MONUMENTUM

I. R. ELEMENTARII PUERORUM INSTITUTI

RECTOR ET PRÆCEPTORES

EXTARE VOLUERUNT.

EX QUIBUS CANEBAT CAROLUS LIPELLA Presb.

Digitized by Google

ADNOTATIONES

[1] Ab Imper. Rege nostro FRANCISCO I. renunciatus fuit Inspector Provincialis postridie Kal. Febr. anno M. DCCC. XX., a quo munere sola mors potuit illum divellere. Die autem decima Aprilis anno M. DCCC. XXI., qua primum Veronae Elementariae Scholae institutae fuere, in Regiae Delegationis Ædibus de earumdem methodo, atque utilitate publice disseruit.

[2] Patres Societatis Jesu a puero praeceptores litterarum, ac philosophiae, morumque habuit. quam studiorum institutionem Bononiae incohatam, dirempta Societate, domi suae absolvit, magistro Aloisio Fortis Veronensi, universae postea Societatis Praeposito.

[3] Quam sapienter Naturae Historia, optimisque Artibus excultus fuerit, quibus juvenili jam aetate studuerat, hoc habeas luculentissimum argumentum. Regius Gubernator Venetus Comes Inzaghius ad Gazolam nominis tantummodo celebritate permotus humanissimas litteras propria manu conscriptas misit, rogans ut quidquid in omni rerum genere vel pulcri vel rari tota Veronensis praeseferret provincia, ex ordine describeret, FRANCISCO I. offerendum, quum Veronae anno vertente M. DCCC. XXII. Europaeum Concilium haberetur. Quam quidem Descriptionem unius mensis spatio mirifice confecit. cujus adhuc extat exemplum.

[4] Physicis disciplinis sedulam navavit operam; quarum Instrumenta, aere proprio comparata, aliquot post annis Lyceo Municipali dono dedit; ubi circa marmoream illius Effigiem, in medio Atrii pariete ante fores sitam, haec leges: *Ioannes Ba-*

Digitized by Google

ptista Gazola Instrumenti Physici Largitor. Ex Decr. Reip. anno M. DCCC. II.

[5] Typis Mainardi Veronae anno M. DCCC. XVI. dedit Opus, inscriptum: *Salterio Ebraico Versificato;* italicae Interpretationi inhaerens ejus familiarissimi Iosephi Venturii, linguarum Orientalium peritia inter nostrates celeberrimi. Huic addendum et aliud, anno M. DCCC. XXIX. Veronae ex typographia Libantea editum, cui titulus: *Vita di Davidde ed illustrazione dei Salmi Cronologicamente disposti.*

[6] Ludovicus XVIII. Francorum Rex, qui jam Veronae hospitio Gazoliani Viridarii exul sub Comitis Provinciae nomine usus fuerat, Gazolam, Europam peragrantem, Parisiis quam benigne excepit, et regia donavit Imagine, atque etiam LEGIONIS HONORIS COMMENDATOREM creavit.

[7] Ex pretiosis marmoribus, et metallis, et conchyliis Collectio, quam ipse veluti perfecit, indigenis advenisque satis cognita. at quae ex Ichtyolithis e Bulca effossis, principem in tota fortasse Europa obtinet locum. Quam vero probe Ichtyolithologiam calleret, ejus Animadversiones in Epistolas eruditionis plenas, quas Fortis Vicetinus et Testa Romanus sibi invicem scripserant *de Piscibus Fossilibus,* luculenter ostendunt; quae habentur in Opusculo typis Ramanzinianis Veronae impresso anno M. DCC. XCIV. hoc titulo: *Lettere recentemente pubblicate sui Pesci Fossili Veronesi con Annotazioni inedite agli Estratti delle medesime.*

[8] Gallorum Imperator Gazolianum Musaeum olim admiratus, integram ex Ichtyolithis Collectionem pro desiderio a clarissimo Viro dono retulit: cui annuam amplissimae pecuniae largitionem decrevit. Ipse vero alteram Collectionem et redegit, et locupletavit.

Digitized by Google

[9] Pleraque Etrusca carmina, quibus domesticos intra parietes se suosque familiares interdum recreabat, magna venustate referta, nondum in lucem prodiere.

[10] Societatibus nostris, quarum alteri ab Agricultura et Commercio et Artibus, alteri a Pictura nomen est, identidem praefuit. Orationes italico sermone exaratae, quas ibi publice habuerat, jam publici juris factae sunt. Item in Accademias Moscuae, Berolini, Parisiorum, Nauporti, Mediolani, Mantuae, aliasque plures cooptatus.

[11] In D. Ambrosii pago Veronensis regionis tum opera, tum liberalitate sua de anniversaria maxime Indulgentia, quae prima et secunda die Augusti, frequentissimo populo undique confluente, celebratur, est optime meritus.

[12] Gazolam Adsessores inter sibi Municipium adscivit, legatumque publica de re Parisios misit, et res illi bene successit. Unus ex IV. Viris in Lycei nostri Administrationis Officio se praeclare gessit. In Provincialis Congregationis Conlegas adlectus. quo in honore decessit.

[13] Pectoris hydrope confectus, Christiana ope et religione sua sustentatus, XI. Kal. Majas anno M.DCCC.XXXIV diem supremum placidissime obiit, natus Veronae Nonis Jan. anno M.DCC.LVII., ac funere elatus est splendidissimo.

[14] In ejus locum Nob. Joannes Baptista Fumanellius paucis abhinc diebus suffectus est.



58

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google